

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



76

116

Q. D. B. V.
DISPUTATIO PNEVMATICA

De
AFFECTIONI-
BUS SPIRITUS NEGA-
TIVIS.

Quam
in Celeberrima Leucorea

Sub Praesidio
M. ÆGIDII Strauchs / WITT.
FAC. PHIL. ADIUNCTI

Plecido Eruditorum Examini
exhibet

JOHANNES FRIDERICUS SCULTETUS
TORG. ALUMN. ELECTORAL.
d. 10. Martii. horis mat.



WITTEBERGÆ
Describebatur Typis Johannis Haken, 1 6 5 5.



Q. D. B. V.
DISPUTATIO PNEUMATICA

AFFECTIONI-

BUS SPIRITUS NEGA-
TIVIS

in Celebratione

Sub Praesidio

M. AEGIDIJ STRANDBY WITT.

Fac. Phil. ADIUNCTI

Publico Examinis

causae

JOHANNES FRIDERICUS SCHULTZUS


TORE. ALMNI. ELECTORAL.

M. to. Martii anni 1711.

WITTEBERGAE

Delicibat Typis Johannis Haken, 1711.





I. N. J.

THESIS I.

Inextensio est affectio Spiritus negativa, qua quantitate omni carere concipitur.

THESIS II.

Indivisibilitas est affectio Spiritus negativa juxta quam nequit dividi in partes alias atque alias, extra se in quo positas, sive eadem essentiales sint, sive integrales.

THESIS III.

Allocalitas est affectio Spiritus negativa, qua is loco non est mensurabilis.

THESIS IV.

Immobilitas est affectio Spiritus negativa, qua is locum alium atque alium non acquirere concipitur.

THESIS V.

Immutabilitas est affectio Spiritus negativa, juxta quam Spiritus mutationis physicae expers est, non tantum quoad actum, sed etiam quoad potentiam.

THESIS VI.

Intemporalitas est affectio Spiritus negativa, juxta quam tempore non est mensurabilis.

A QV





QVÆSTIO I.

An omnes Spiritus sint inextensi, atque adeo nullâ prorsus gaudeant quantitates?

Affirmatur. Extensio enim quantitatem comitatur; & ex eadem unice fluit; quantitas vero materiæ loholes est, non aliter atque qualitas formæ. Ex immaterialitate itaque Spiritus apodicticè probari potest ejus inextensio hõc modò: Quæcunque substantiæ prorsus immateriales sunt, illæ etiam sunt inextensæ. Atqui substantiæ Spirituales, vi definitionis prorsus immateriales sunt. Ergo quoque sunt inextensæ. Huic vero sententiæ adversari videntur *Subtilissimi Scaligeri* verba, quæ *Exerc. CCCLIX. ad Cardanum* habet, ubi de Intelligentiis imprimis ait: *Cum sint entia alia à primo Ente: finita esse, necesse est. Sunt autem finita a potestate, quia pendent à prima. Sunt finita essentia, quia unum tantum est infinitum. Sunt finita numero, quia sunt extra unum infinitum. Sunt finita quantitate: quia non potest excedere quantitas substantiam. Quid ais? inquires. Ergo quantæ sunt Intelligentiæ Quantæ quidè, haud quantitate predicamentali, sed quantitate intelligibili: ut intellectus intelligat in eis unam partem, quæ non sit alia. Nihil enim infinito æquale potest esse, &c.* Hactenus Scaliger. Enim vero si dicendum quod res est, nimis crassa hæc videtur subtilitas. Quantitas enim intelligibilis, ambigue dicitur; Vel enim in hac denominatione Tò intelligibile opponitur reali, vel opponitur sensibili. Si illud, Ius tantum in terminis est, & quantitas intelligibilis erit non quantitas. Neque magis ejusmodi intelligibilis quantitas dabitur in Spiritibus, quàm materia intelligibilis, divisibilitas intelligibilis, localitas intelligibilis, mobilitas intelligibilis &c. Intellectus vero noster insufficientis est, qui realem quantitatem in rebus non quantis pro-

producat, cum mensura intellectiois & notitiæ sit res ipsa, non vero notitia sit mensura rei. Sin vero sensibili tantum $\tau\delta$ intelligibile hic oppositum intelligatur, falsissima erit hæc denominatio, quæ Spiritus revera quanti, at insensibili quantitate prædici dicuntur: Vera enim quantitas sive sensibilis sit, sive non sit sensibilis, seu sensu visus & tactus imprimis non perceptibilis, ut atomorum quantitas, materiæ soboles est & manet. Conf. *B. Jac. Martini Exere. Metaph. L. II. Exere. III. p. 560. seq.* Sed longe gravius errare *Vorstium* asserentem *tr. de DEO & attr. p. 239.* Deum vere magnum & amplum esse non solum ratione qualitatis h. e. virtutis, seu potentiæ & bonitatis, sed etiam respectu quantitatis, sed divinæ & spiritualis, graviter asserit *Rev. adm. D. D. Carolus Script. Philos. part. 2. p. 194.* Et id quidem sequentes ob rationes. Nam si Deus vere magnus ratione quantitatis, vere corporeus erit, cum quantitas non sit sine corpore, accidens sine subjecto, quod autem quantum est, id divisibile adeoque corporeum esse oportet ac partem habere extra partem. Proinde illa intelligibilis quantitas Dei aut divisibilis erit, aut indivisibilis. Si hoc, erit contradictio in adjecto quantitas indivisibilis, si vero illud, Deus dividuus erit in partes, quod impium. Quocirca pie *Augustinus* monet *L. V. de Trin. c. 2. Intelligam DEUM sine qualitate bonum, sine quantitate magnū, sine indigentia creatorem, sine situ presentem sine habitu omnia continentem, sine loco ubiq; totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia omnia facientem. &c.*

QVÆSTIO II.

An omnis Spiritus sit indivisibilis?

Affirmatur. Divisibilitas enim sequitur materiæ conditionem, quatenus eadem è partibus quantitativis constat. Ubi

A 3

ergo

ergo partes non ad sunt, ibi nulla divisio speranda & possibilis est. Neque enim nobis sermo est hoc in loco de divisione Logica quâ latius & superius in inferiora dividitur, neque de divisione quacunque alia, improprie sic dicta, qua etiam, quantitate virtutis, magnum ratione potentia & virtutis suæ potest quasi dividi, sed in solidum de divisione quantitativa loquimur, quæ materiam & quantitatem comitatur licet non omnem. Hæc ergo Spiritibus denegatur merito & per immaterialitatem de iisdem demonstratur. De anima tantum dubitare quis posset, an non eadem corporis imitetur conditionem & cum eodem ipsa quoque dividatur. Enimvero hanc quæstionem nervose explicat *Excell. Dn. Sperlingius* Antropol. p. 77. seqq. Confer. quoque si placet *Aegidii Romani* Comment. in Libr. Aristot. de anima II, Cap. II. p. V. *Toletum* in Libr. I. Physicæ. Aristot. c. VII. Qu. XV. *Eustachium* Summ. Phil. part. 3. p. m. 178. *Zabarellam* de Partitione animæ p. m. 751. *Scalig* de Subt. Exerc. 307. Sect. 29. Itemque commentatores in Libr. I. sententiarum *ombardi* Distinct. VIII. ut sunt: *Thomas, Durandus* & infiniti alii, de quibus in parte speciali uberius ^{ind}dicemus.

QVÆSTIO III

An Spiritus sint in loco?

Negatur. Locus enim definitur, quod sit affectio corporis naturalis, quâ illud occupat suum spatium longum, latum & profundum. Quibus ergo hæc definitio non competit & applicari potest, iisdem neque locum adscribi posse palam est. Demonstratur ergo iterum illocalitas per immaterialitatem & hanc consequentem inextensionem, & quantitatis absentiam hoc fere modo: Quæcunque substantia est immaterialis, illa

non

non est longa lata & profunda, neque ejusmodi spatium occupare potest. Atqui substantiæ Spirituales sunt immateriales. Ergo longitudine, latitudine & profunditate merito carere dicuntur & consequenter in spatio ejusmodi locali non sunt. Neque vero per hæc negamus ullum Spiritum in ∞ seu ubi quodammodo esse differunt enim ubi & locus ut latius & angustius. Quippe cum ubi circumscriptivum tantum localitatem inferat non vero vel repletivum, quod DEO, vel definitivum, quod angelis & anime rationali vulgo attribuunt. Cæterum ex hoc ipso discursu patet inconvenienter *Hurtardum* *Summul* part. 1. Disp. XIV. m. 438. & alibi animam rationalem & quamvis angelicam substantiam esse proprie in loco, per veram præsentiam, intrinsecam, quam latitudo mutare possunt, asserere, itemque per absurde *Clementem* *Timplerum* Met. L. IV. c. IV. inter affectiones Spiritus recensere & quidem quinto loco rō esse in loco sine spatii localis occupatione, seu repletionem, ut ipse addit Quam suam sententiam probl. 6 l. cit. explicaturus ad locum intelligibilem confugit, asserens substantias incorporeas creatas *verōs* esse in loco. Quo eum convenit *Arfediū* quoq; qui L. VI. *Encyclop.* part. 2. *Pneum.* c. 3. *Reg.* 4. distinguit inter locum intelligibilem & sensibilem &c. At non inconcinnè hic applicari potest, quod in simili fere causa *Clarissimus* quidam scriptor, ait: faciunt ∞ intelligendo, ut nihil intelligant *Redius* longe *Scaliger* *Exerc.* CCCLIX ait: dicuntur ergo intelligentiæ (cum quibus hoc in passu conveniunt anime, de DEO enim vix dubium est) esse in loco æquivoce, atque etiam plus quam æquivoce: quia sunt in suo ubi, non per circumscriptionem, quem admodum mea manus in aere, sed per designationem. Confer. *Rev. adm. Dn. D. Calov.* *Script. Phil.* l. c. *B. Graueri* cent. 1. quæst. II. *Illustr. Disp.* qv. 5 *Thom. Aquin.* *Quodlibet* 1. *Quæst.* 3. *Mendoram* *Summ.* part. 2. *Metaph. Disp.* XII. *Sect.* VI. pag. m. 520.

QVÆSTIO IV.

An in Spiritus cadat motus?

Negamus. Motus enim proprie & Philosophice loquendo est affectio corporis naturalis, quâ illud alium atque alium acquirit locum. Cui ergo locus non competit, eidem neque motus convenire potest, quod non obscure monet *Aristoteles* quando *L. III. Phys. cap. I.* ait: ἀνευτοῦ ἄνευ κενῆ, καὶ χρόνου, ἀδύνατον κίνησιν εἶναι. Sine loco & vacuo & tempore impossibile est motum esse. Quod alii declarant hoc modo: In motu localitria imprimis requiruntur (1) Terminus à quo (2) terminus ad quem, quorum uterque locus esse debet (3) successiva progressio, ita ut pars motus sit fiens, pars facta, pars futura sit. Distinguendum vero est inter motum proprie sic dictum scilicet localem & inter variationem τῆς ubi quamcunque. Illum denegamus Spiritibus, nequaquam vero hanc, seu, quod idem est, asserimus Spiritus non moveri localiter, moveri tamen, ut alii loquuntur, definitive, quatenus possunt esse alibi, postquam fuerunt hic, absque tamen sui circumscriptione. Quamobrem minus Philosophice hic iterum *Timplerus* ad quaestionem. Ita angeli per se localiter moveantur & quomodo, respondet. *Cum angeli per se sint in loco, neque semper in uno loco maneat, sed modo in hoc, modo in illo existant, modo ascendant, modo descendant, modo accedant, modo recedant, necesse est, ut statuamus, angelos per se localiter moveri.* Hactenus *Timplerus*, qui in subsequentibus absurdam suam sententiam prolixius quidem explicare conatur, ita tamen, ut subinde principium petat. *Rudolphus Goclenius* vero in *Notis & Scholis* pag. m. III. non excusat sed auget absurditates, ajens: *Non videtur quibusdam eruditissimis viris absurdum, dicere angelos habere corpora tenuissima alterius generis, quam elementaria & caelestia & propter tenuitatem, invisibilia.* Itaque

motu

motu Spirituali, id est perniciosissimo, in imperceptibili tempore, *κινῶντο* *τοπικῶς*, id est localiter. Coeterum quæ pro hac sententia facere videntur in discursu forsitam examinabimus & refutabimus.

QVÆSTIO V.

An Spiritus sint ingenerabiles?

Mutatio Physica non unicum tantum admittit modum, quin potius ejusdem dantur species variæ adeo, ut plurimi è Peripateticis, qui vulgo ita vocantur, mutationū species fecerint sex: Generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem, alterationem & motum localem. Etsi vero nonnulli Generationem, & corruptionem conspecies motus haud esse dixerint quia utraque instanti fit & quæ aliæ rationes penes interpretes Aristotelis legere sunt, ipsumque *Aristotelem* Libro V. Phys. c. I. nobis tamen placet hâc occasione examinare species singulas & an ad Spiritus applicari queant, annotare. Ad quæstionem vero præsentem dicimus respondendum esse distincte, Affirmativa n. sententia defendi forsitan potest, (1) Si retineatur genuina ista generationis definitio, qua describitur eadem, quod sit actio corporis naturalis misti, quæ sibi simile producit, ut perpetua specierum conservatio constet. (2) Si sermo sit de generatione Physica, non hyperphysica. (3) Si sermo sit imprimis de Spiritibus completis, non æque incompletis. (4) Si sermo sit de principio generationis quod non quo. (5) Si sermo sit de Spiritibus ut sic ratione essentiæ præcise, non ratione officii sui consideratis: Nervose enim *Excellent. Dnus Sperlingius* in *Anacephalæosi Dissert. de Traduce* p. 485. ait: *Ut immortalis est filii anima, sic immortalis est patris anima. Ut Spiritus est filii anima sic Spiritus est patris anima. Generant hi & generantur*

B

non



non qua Spiritus, sed qua formæ quarum est in ipso generationis actus
& genitoribus produci & introduci.

QVÆSTIO VI.

An Spiritus sint incorruptibiles?

Affirmatur, sed non ex æquo de omnibus. Sicut enim corruptio-
nis (quæ à *Petro Hispano* Tract. V. Summular. describitur, quod
sit progressio esse ad non esse) principium vulgo statuitur du-
plex, aliud internum, aliud externum, ita similiter incorrupti-
bile aliquid dicitur vel ab intra tantum, vel ab extra quoque.
Incorruptibile quidem ab intra dicitur, quod in se non habet
principium corruptionis internum, quale principium vulgo
materia esse statuitur. Ab extra vero incorruptibile illud de-
mum est, quod non tantum in se principiorum transmutandi & in-
teritum minantium expers, est sed quod à vi externa quoque im-
mutari & destrui nequit. Quia ergo hoc in loco abstracte lo-
quimur de Spiritu ut sic, non prout finitus, vel infinitus est, i-
deo incorruptibilitas quoque ejusmodi est intelligenda, quæ
indifferenter se habet. Si enim quærat^r specialiter de Spiritu
finito, dicendum erit, eundem ab intra quidem incorruptibile
esse, non vero ab extra. Sin vero ad Spiritum infinitum appli-
cetur quæstio utroque in sensu incorruptibilitas ejus erit adstru-
enda. Porro quod Spiritum finitum attinet, non tam incor-
ruptibilitatem ejus ratione accidentium, quam ratione essentia
precise spectate, defendere satagimus.

QVÆSTIO VII.

An in Spiritum cadat augmentatio & diminutio?

Negamus. Ipse enim *Aristoteles* L. I. de Generatione & cor-
ruptione c. IV. augmentationem & diminutionem descri-
bit

bit hoc modo: ὅταν μὲν ἐν κατὰ τὸ ποσὸν, ἢ ἢ μεταβολὴ τῆς ἐναντιώσεως αὐξήσις καὶ φθίσις. Quando igitur secundum quantum fit transmutatio contrarietatis, augmentatio est & diminutio. Quæ verba explicaturus plenius *Ægidius Romanus* Comment. in hunc Aristot. locum pag. m. 452. ex Aristotele augmentationem ita definit: Augmentatio est motus ad maiorem quantitatem factus, suscepto intus alimento manente eo quod augetur omnino eodem ex parte formæ. Quoniam itaque jam antea Spiritibus in univrsum omnibus quantitatem denegavimus, ideo ultro patet augmentationis & deminutionis capaces eosdem esse non posse.

QVÆSTIO IV.

An in Spiritus cadat alteratio?

Negatur. Et sic enim *Aristoteles* loco antea citato alterationis vocabulum ut satis generale, describere videatur, ajens ὅταν δὲ κατὰ πάθος καὶ τὸ ποιῶν (subintellige ἢ ἢ μεταβολή) αἰλλοίωσις quando secundum passionem & quale [fit mutatio] alteratio contingit, & Spiritus finiti secundum qualitates quasdam mutationibus sæpius satis crebris sint obnoxii, ut quando rerum ignotarum prius acquirunt notitiam, vel post tristitiam lætitiâ afficiuntur, attamen interpretes Aristotelis ex ipso Aristotele accuratius indefinitionem Alterationis inquirentes, sequentem demum pro legitima habuerunt antea & adhuc habent Alteratio est mutatio secundum qualitates contrarias aut medias eodem subjecto sensibili permanente. Confer *Conimbricenses* Commentar. in Libr. Arist. Phys. part. II. p. 192. seq. *Ægidium Romanum* Comment. in Libr. de gener. & corrupt. Cap. IV. p.

408 seq. *Toletū* in L. vii Phys. Arist. c. iii. p. m. 196. seq. & in L. i. de Ge-
ner. & corrupt. c. VIII. p. m. 294. seqq. *Zabarellam* Libro de gene-
ratione & interitu. *Bened. Pererium* L. XIV. de varietate & di-
visionibus motus. *Piccolomineum* Phys. p. m. 1360. *Eustacium*
Summ. Philos. quadrip. Phys. part. 2. tract. 2. quest. 9. seq. pag. m.
137. Quo sensu in spiritus alterationem cadere non posse pa-
lam est, cum neque sensiles iidem neque parib. lium qualitarum
corporearum, de quibus unice alterationis vocabulum, intelli-
gi volunt, capaces sint.

QUÆSTIO IX.

An Spiritus sint in tempore?

N*Egamus.* Tempus enim proprie & accurate loquendo est
affectio corporis naturalis extrinseca, qua duratio ipsius, in
se indistincta, distinguitur juxta motum corporum cœlestium
prout *Excellent. Sperlingius* Institut. Phys. L. ii. capt. vi. temporis
quidditatem exprimit. At quis non videt nequaquam Spirituū
durationem hoc sensu mensurabilem esse. Cum non tantum
Auctori temporis Deo gloriosissimo ejusmodi existentia in tē-
pore adscribi ne queat, quippe qui ante motum corporum
cœlestium esse suum æternum habuit, ut alias difficultates infi-
nitas taceam, quibus adversa sententia misere premitur quas
in parte speciali, Deo volente de æternitate Entis infiniti actu-
ris dabitur allegandi & ventilandi locus, sed etiam angeli ante
corporum cœlestium motum extiterint si verisimilibus non-
nullorum rationibus fidem adhibeamus. Ut de anima in specie
non dicamus. Cœterum non inconvenienter *Toletus* in Libr.
4. Phys. Aristot. cap. XIV. dubitandi rationibus quibusdam sa-
tisfacere



riffacere videtur, dum ait: advertendum esse in tempore, non solum est, esse cum tempus est, sed mensurari ab illo, superari ab illo & pati ab illo. Mensurari autem ab illo, est se illi adaptare juxta ipsius naturam, ut sicut partem post partem tempus habet, nec simul est totum, ita etiam, quæ ab illo mensurantur. Superari est, quod sint minora quam totum tempus, ita, ut tempus majus sit quocunque sub contento; & inde provenit, quod passibilia sint, & alterabilia, quæ sub ipso sunt. In specie vero de Deo annotat citatus autor, cujus verbis lubentius utimur quam nostris, sequentia. Deus coexistit tempori similiter & angeli, quia fiant, quando tempus est, non tamen sunt in tempore, cum in se successionem non habeant. præsertim Deus qui nec in suo esse, nec in suis operationibus habet successionem in in se. Quod si illi tribuimus differentias temporis, id est, secundum modum nostrum intelligendi & per tales differentias non successionem sed solum durationem volumus significare ipse tamen in æternitate indivisibili est totus.



A 1

A 2



Ad

Doctissimum

DMN. SCULTEUM

Philosoph. Candidatum Amicum per dilectum, ex
Pneumaticis Disputaturum.

Scultete Patris optimi nil degener
Fili, immo, quin & portio non ultima
Nostri Chori, sic eja (Sic decet tuam,
Tibi insitam melioris indolem luti

Non est satis legisse pluseulas tibi
Opes, quibus manes datur non cernere,
Venas probas monstrante Meisnero; Cui
Debere se fatetur ipse Phœbus, &
Ego haud parum; nec diffiteris tu quoque.
Non est satis Scultete; sed quoque explicas
Istas sinu refertiore, Namque quid
Absconditæ profint opes scis. Hinc nuper
audivit Alma Leucoris, Sacra Trigà,
Plaudente, Te sonare, Phœbeum melos
Maiore plectro. Aggressus hinc animosior,
factus gryphes tricas plicasque solvere
Sophicas. Nec hinc tibi terminus; sed altius

ipso




Ipso ire te, domosque tentas Coelites
Scandere, *sacras* ut mente *mentes* arbitrans,
Doceas quidi *lla*, quaque vi sic polleant
Quod scire, quod movere quaque vit a fit
Iplis, locusq, quis? Profecto dignius
Nil mente nata ad alta, Nituum labor
Ist hinc fatiget pectus, aut frangat metus,
Vel orsu in ipso detepescat impetus;
O crede, non fallar, videbimus brevi
perenni claram Te mereri *Lauream*.

perscripsit
properante, sed bene ominante
calumo

M. DANIEL *Liefftrunck*

Botterf, Saxo Alumnus Elect.




QVas alii curasque catenatosque labores,
Nec nisi chartarum pallida regna vocant:
Hæc requies *scultete* tua est. ea sola voluptas,
Hinc animare Sophum pulpita creber aves.
Macte animo (superaque iter indefessus ad astra.
Sint sua regna aliis, hæc tua Roma fiet

Contubernali suavissimo

L. M. *Q.* apposuit
JOH. GEORGIUS WILKINS
Dresd.

Der





Der Streit ist bengelegt. Dir aber bleibt die Krone /
Vnd ein Magister Krank / So viel Ich weiß / zum lohne
Das andre giebt die Zeit. Denn dein gewisser Fleiß /
Verspricht dir grössern Lohn. Vnd der ist Klug vnd
Weiß /

Der nicht auf einen Tag / daß was er wünschet / lernet /
Wird doch der Himmel nicht in einen Blick gesternet /
Es geht was langsam zu. Drum laß der Zeit den
Lauff /
Wer gar so zeitlich fährt / der hört auch zeitlich auff.

Seinen Viel-gehrten Herrn Tisch-Burschen
schrieb dieses

Johann Christof Fischer.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

76

116

D. B. V.
PNEVMATICA
De
CTIONI.
TUS NEGA-
VIS.

Quam
ima Leucorea

Presidio
trauchs / WITT.
ADIUNCTI

rum Examini
hibet

ERICUS SCULTETUS

. ELECTORAL.
tis. boris mat.



BERGÆ
nnis Haken, 1 6 5 5.

